

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

CVII. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

CVII
Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

Quam Præside

CL. THOM. GUIL. GUILBERT DE PREVAL,

Tuebatur

H E N R. J A C. M A C Q U A R T.

Sub hac verborum ferie ,

*An Scalpello Vagina recondito Cystitome Lateralis
perfectior ?*

Parisiis die 25 Aprilis anno 1754.



CVII
Q U A E S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A
Q U A E S T I O
E T T H O M . G U L B E R T D E T R E V A L I A
T U B I N I
H E N R I C I M A C Q U A R T I
S U B H A C V E R B O R U M T I T U L O
A D S C H I S S E N S I S T E M A T U M
P R O F E S S O R I
P A R I S I E T A P R I L I A N N O 1774



L

AB Antiquissimis Medicinæ temporibus celebrata fuit Cystitome, & ut verisimile est, primum ab iis, quorum audacia nec non dexteritas pro omni virtute erant. Tormentorum sævitia, renixus calculi, qui sese dabat obvium tangenti perinæum, aliquem temerarium impulit videlicet ut aperiret locum qui eminebat: hinc initio instituebatur, quæ vulgo Lithotomia, (barbare quidem) iis tantum, in quibus calculus perinæum in tumorem attollens, ferrum flagitabat præ doloribus. Sed, anatome etiam rudi docente vesicam recto intestino incumbere, creditum est, introducto digito in anum versus vesicam, calculum, quem non statim reperiebant, e sede sua disturbatum iri, atque compulsum in vesicæ cervicem unde possent illum extrahere superincidendo. Hæc operandi ratio, quæ Celsicus (nobis deinde parvus) *apparatus* audit, quam à Græcis acceptam primus descripsit Celsus [a], vix mutata per multam annorum seriem permanfit, sed visa periculi adeo plena ac difficilis, ut præter agyras quodcumque temere ac licenter aggredientes, solis in ea dedita opera exercitatis medici demandarint. Argumento est ipse Hippocrates, qui eam solemnem formulam ejuravit. Is autem est curandi modus in Celsica methodo: scilicet, „Adducto calculo super vesicæ cervicem (ope digitorum qui in anum demittuntur) inciditur cutis plaga lunata usque ad cervicem, duobus „cornibus ad coxa spectantibus paululum, deinde ea parte, qua strictior „ima plaga est, etiamnum sub cute altera plaga transversa faciendâ est, „qua cervix aperiatur, donec urinæ iter pateat, sic ut plaga paulo major quam calculus sit”. Facta hoc pacto incisione, digitis, vel unco injecto calculus eximebatur. Has chirurgiæ primitias o utinam attentius respexissent artis medicæ Magistri! Opus omine tam felici inceptum citius absolutum fuisset ad generis humani salutem. Quam manca atque inops hoc tempore esset Cystitome (sic enim vocanda) viderit omnis qui attenderit: 1°. Tuto tantum secari infantes, & eos in quibus non majori vi adigeretur lapis in vesicæ cervicem. 2°. Partium sectionem incertam esse. 3°. Ab aspero lapide compulso aut extracto lacerationes, contusiones, quas sæpe sequebatur nervorum distentio, &c. inferri. 4°. Maximam partem calculosorum perire, deficiente methodo, qua liberari possent adulti.

In hoc rerum articulo apparuit Joannes de Romanis, Italiæ gentis medicus, nova methodo instructus, qua omnis ætatis calculosos tutius secari asserbat. Marianus Sanctus doctor medicus, vivo & assentiente auctore, eam promulgavit [b]. Joannes de Romanis, quam instituebat in
Tom. IV. R r femi.

[a] Lib. VII. cap. XXVI.

[b] Ann. 1520.

feminis, tuto transferendam ad viros credit operationem, nempe urethram virorum tam dilatari posse, quam feminarum. Ejus methodus vocata fuit magnus apparatus, à magno instrumentorum numero, quibus utebatur [c]. Ex Italia ad nos delata fuit, & quibusdam familiis [d], quarum per multos annos propria erat & quasi gentilitia, honori fuit atque emolumento; sed eo ipso quam maxime in suo progressu fortasse retardata. Joannis de Romanis methodus exegit Celsicam, quæ celebratur tantum in pueris, ubi facile calculus compellitur ad vesicæ cervicem. Via breviori tutiori fortasse, & minori instrumentorum apparatu licet hodie fiat operatio Mariana, non ideo palmam meretur, nec quibus potitur honores [e]. Cathetere sulcato immisso trans scrotum ad latus raphes fit incisio urethræ in sulco duos aut tres pollices longa, ratione habita ætatis ægri & calculi molis: ut autem pars inferior & ultima urethræ præcise incidatur, non solum manus & scalpellum aliquatenus sunt inclinanda; verum etiam catheter, qui huc usque deorsum erat impressus, D. Dranio auctore attollendus est, ejusque rostrum ad juncturam ossium pubis firmiter applicandum: quo fit ut à recto intestino diducatur urethra; sed quantum fieri potest cavetur, ne scalpelli acies à sulco deviet. Nudato catheteri immittitur conductor Hildani (*le Gorgeret*) & super instrumentum incedens digitus leni & gradatim conatu facto chirurgus [f] vesicæ cervicem quoquo modo aperit: vel ope scalpelli ad id fabri facti incidit partem cervicis obstantem; tum immittitur forceps, qui viam omnino sternit, non sine majori, quam par est, vi, dum ægrius excipitur.

Si Joanni de Romanis compertum fuisset, quid ageretur in sua curandi ratione, non sibi tantopere gratulatus fuisset hanc methodum, imo, quam aperuerat viam Celsus, secutus avibus felicioribus perfecisset, instrumenta nova ad methodum Celsicam traducendo. Neque enim cutis inciditur factis, nec in loco commodiori; hinc calculo etiam mediocri exitus negatur; vel id non fiet sine contusione ligamentorum tendinosorum, quæ necunt vesicam cum pubis ossibus. Qualemcumque fingas operantis dextram, non rumpitur sine inflammatione cervix vesicæ, cujus suppuratio periculo non vacat: prostatæ renixum afferunt superandum: si male conterantur, ilias malorum arcessitur, sed sine magna vi penitus non separantur; quidpiam plerumque intus supereminet, quod in operando moram infert & impedimentum, &c.

Unanimi consensu recipiebant methodum Italorum & artifices sequebantur secure, quasi res ad ultimum perfectionis gradum evecta fuisset, cum 1697 novam apud nos, sive ipse invenerit, sive, ut admodum verisimile est,

[c] Legatur Mariani Sancti libellus aureus, *de lapide ex vesica per sectionem extrahendo.*

[d] Colotis & Toletis.

[e] C. Heister. Chirurg.

[f] V. D. le Dran in eximio ejus opusculo, *parallele des Tailles.*

est, ab aliquo acceperit, secandi rationem protulit eremita quidam famosus sub nomine Fratris Jacobi. De eo homine rectum non licet ferri iudicium, amicis eum tollentibus nimium, adversariis nimis elevantibus [g]: manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, intrepidus animo, nec ulla inexpectata re vel difficili commotus, sobrius, spreter divitiarum, unius gloriæ cupidus, & quasi missum à Deo ad levandas hominum miseras se prædicans, litteris commendatitiis fretus venit Parisios.

Curandi modum exposuit coram medicis atque chirurgis, & multis experimentis factis spes magnas concitavit [h]. Itaque iussu Magistratuum anno 1698, in magno Nosocomio Parisiensi, & in Nosocomio *Charitatis* dicto, calculosos methodo sua aggressus est, sed parum prospero successu, cum minima pars ægrotorum convaluerit: tum admiratione versa in despectum, hanc methodum ita plerique damnarunt, ut eam ne emendatam quidem tuto adhiberi posse contenderent. Frater è Gallia discedens, Bataviam confugit, ubi Doctor Medicus Ravius jam Cystitomista celeberrimus astitit operanti Jacobo, non otiosus sane spectator: vidit si quidem pro sagacitate sua methodum eremitæ superiorem multo hætenus usurpatis, sed anticipitem periculique plenam inventoris inter manus, sic ea qua erat peritia absolvit, ut abhinc per universam Europam perfectissima habita fuerit. Hujus autem fama permoti convolarunt ad insignem virum, quibus chirurgices gloria cordi erat; at operantem videntes latebat operandi modus cautissime occultatus: unde tamen Cheseldenus satis videtur arripuisse, quo sectionem Ravianæ propiorem excogitaret [i]. Tum chirurgus nostras inter celeberrimos, qui ad Cheseldenum se contulerat, methodum traduxit Angli ad Gallos, quibus miros stimulos addidit: inde enim controversiæ & lites inter eos, qui vel inventa perficienda, vel instrumenta novanda existimarent: omnes profecto laude digni, cum ad artem non mediocris inde utilitas accesserit. Methodus nova, lateralis vocata fuit; nonnulli Jacobianam dicunt ab inventore Fratre Jacobo, sed annotante laudato inter celeberrimos chirurgo, vix Jacobiana dici potest, quia incertum adhuc est, quas partes secaret in operando Frater Jacobus, dum, modo corpus vesicæ tantum modo cervicem & corpus simul incidere. Lateralem dicunt ab incisione, quæ fit è latere orificii vesicæ sive urethræ, cum in Mariano apparatu recta per bulbum instituat via; vel quia oblique cæduntur & aperiuntur partes, ab angulo pubis usque ad tuber ischii, cathetere vergente paululum versus clunem sinistram. Cæterum ne credas in dirigenda ad latus incisione exteriori sitam esse tantummodo veram rationem cystitomes lateralis. Revera siquidem non constituitur sic appellanda, nisi post sectionem forceps facilem invenerit viam ad vesicam, neque ipse sibi fecerit, aut inchoatam perfecit, area latiori insuper data

R r 2 ad

[g] Ita loquuntur Saviard, Tolet, Dionis, aliiq. Chirurg. Parif.

[h] D. Mery Observ. sur la manière de tailler du Fr. Jacques.

[i] D. Morand.



ad exitum [*k*] calculi. Lateralem apparatus cæteris longe antepo-
 dum fugit neminem hodie, & hac de re unanimis ferme est consensus;
 quin adhucdum qui laudant apparatus magnum, eo judicant perfectio-
 rem, quo propius accedit ad lateralem. Vix tamen celebratur apud nos:
 rejicitur nostras licet ac retinetur antiquus alienigena, quod à Gallorum
 moribus satis abhorret in rebus chirurgicis. Nec minor tamen, si artifi-
 ces dexterrimi, quibus fortuna interdum favet, ab affueta methodo non dif-
 cedunt, dum lateralis apparatus sectatores adhuc inter se disputare vident,
 quæ sit via tutior secandi in hac methodo, quæ partes incidendæ sint, & qui-
 bus instrumentis res certo expediri queat.

Jam ubi fuerit ostensum, qua via oblique secari præstet, à quibus parti-
 bus caveri oporteat, discutiendum supererit an cystitome lateralis securius
 instituat cum scalpello vagina recondito, quam alio quovis instru-
 mento, quod quidem nobis propositum est.

I I.

Si habeatur ratio partium incifarum, duplex est methodus, qua institui
 potest lateralis apparatus: in altera corpus vesicæ tantum inciditur, ure-
 thra & cervice intactis; cervix cæditur in altera, & quædam vesicæ pars.
 Prior duplici via celebrari potest, Raviana scilicet, saltem qualem descrip-
 sit Albinus, & Foubertiana; posterior multiplici instrumentorum genere.

Ravius, si fides sit Albino [*l*], unum incidebat vesicæ corpus in spa-
 tio, quod ureterem & cervicem interjacet, & non nihil posteriori parte:
 scilicet ægro collocato ut in Mariano apparatu, pedibus manibusque deliga-
 tis simul, immittebatur in vesicam catheter longior & curvatura majori
 [*m*], quam cujus iconem dedit Albinus, & quantum poterat, pars ape-
 rienda sinistri ischii tuberi admovebatur. Verum, quibus vesicæ atque
 urethræ notus est nexus cum propinquis partibus, hi intelligunt mem-
 branaceam partem urethræ, tum maxime prostatam ita vi omni resistere
 ut se neutiquam ad ischii tuber adduci patiatur; vesicam è contrario do-
 ciliorem ad tuber accedere, propellente convexo cathetere, & eo facilius
 quod post evocatam urinam flaccida fiat. Via ita patefacta, & fistula pro-
 deunte in conspectum, cavebat maximopere artifex medicus, ne, cathe-
 tere recedente, pars aperta resilliret, & conductori præcluderetur aditus;
 tum firmato cathetere, vulnus digito explorabat, & versus posteriorem
 partem ampliabat plagam. His ita peractis, conductoris masculi extremi-
 tatem fulco catheteris, masculo femineum inferebat, & inter hos forcipem,
 quo

[*k*] Vid. Thesis omni numero absolutam C. Falconet, Med. Par. *An educendo cal-
 culo cæteris antepoendus apparatus lateralis?* Cl. Douglassi, de appar. later. nec non
 quæ scripsit D. Garegeot. Insuper. Mém. de l'Acad. des Sc.

[*l*] Albin. in vita Ravii.

[*m*] Vid. D. le Dran, *parallele des tailles.*

quò educebat calculum. Methodum hanc tot & tanta premunt sæpius incommoda, ut tanquam præstantior secandi ratio usurpari non possit. Depressio vesicæ contra ischii tuber fieri nequit ut plurimum in calculosis, sine vehementi irritatione visceris illius, cum vesica plerumque ægrotans distendi facile non patiatur. Vulneris fundo non respondente labiis exterioribus, urina per plagam effluendi viam non inveniens dispergitur in cellulas, unde ulcera fistulæque longe lateque propagantur. Ubi demum plures sunt calculi, immixtis sæpius instrumentis, fatigata impensius dolet vesica. Quin insuper plaga alieno loco inficta calculis extrahendis repugnat. Adde sæpius inde ureteres premi, etiam contundi, lethali plerumque noxa. Quæquidem omnia Cheseldenum ab hac methodo deterruerunt, qualis apud Albinum reperitur; nec mediocrem suspensionem injecere, Ravii non genuinam esse, ut pote quæ tamdiu tot faustis successibus inclaruerat.

Quidquid sit, Albini descriptio chirurgi [u] celebri Gallo ansam dedit ad excogitandam aliam secandi rationem via quidem breviori, utinam & tutiori [o]. Vesica scilicet quantum fieri potest, distenditur injecta aqua, vel urina quam jubetur æger retinere: tum illo collocato, ut in Mariano apparatu, & leniori pressu vesica ad pubem depressa, chirurgus immixtis sinistræ digitis in anum, ut, exploratis quæcumque sunt in vicinia, rectum ab ischii tubere diducat, dextera cuspidem triquetram (nobis *Trocant* nomine) in Ascite vulgo usurpatam infligit, loco designato, tuber ischii inter & anum, sed illi propius, aperitque vesicam quatuor aut quinque lineas citra ureterem. Urina prodeunte per sulcum fistulæ, qua cuspis includitur, manu sinistra fistulæ manubrium deorsum inclinatur, dextraque longum scalpellum recta per sulcum immittitur vesicæ primo perforandæ, deinde ab eodem sulcum non deserente, ubi cuspis attollitur, incidendæ.

Verum quæ Ravianæ methodo objiciuntur qualem Albinus tradidit, eadem ferme in modo descriptam cadere videntur [p]. In unum attingam vesicas non iisdem magnitudine ac situ omnes esse, ægras vero, ut plurimæ sunt, ad libitum operantis deprimi vix posse. Ceterum, si in hac secandi ratione catheter abest, damno potius id esse videtur quam lucro; quandoquidem locus incidendus non nisi illius ope liquido ostenditur, atque alia quavis ratione, si vesica vulnus effugit, periculum est ne intestinum accipiat, &c.

Itaque faciliorem tutioremque viam aperit sectio secundum vesicæ cervicem facta. Sana sit ipsa vesica vel ægra, magna vel parva, extendi queat necne, erroris metus omnis exulat, facile immittuntur instrumenta, educuntur facile simul & calculus, prostaticarum obice præsertim superato. Hoc nomine, ut pote vesicæ astans vocatur firmum ac densum glandu-

R r 3

losum

[u] D. Foubert. Chirurg. Par.

[o] Mémoires de Chirurg. Tom. I.

[p] Vid. Gunz. observ. Chirurg. Kesselringum de hac methodo.



losum corpus, quo vesicæ cervix ambita arcte stringitur, ab urethræ principio, ad interius vesicæ ostium, ubi quasi torulus in orbem duas circiter lineas exurgit. Hic est torulus, qui eodem ictu quo reliqua glandula penitus discindendus est: Alioquin omnes illas partes, eo magis reluctantes, quod vesicæ cervix musculosis fibris roboratur, obterras, laceres; unde lethalius plerumque malorum iliadem suboriri videas. Hæc intellexit primus post Ravium Chelfeldenus inter Anglos Chirurgus, si quis alius, insignis, nec ut Ravius nobis invidens, sic palam sectionem suam adornavit: catheterem immissum, (communis præterea) qua convexus est curabat admoveri loco [q] acceleratorum & erectorum musculos interjacenti atque inibi firmari: Tum incisis, quæ tegumenta vocantur, scapellum ad perinæi latus ab inferiori subtus anum loco ita adigebat, ut integrum prostatæ corpus uno ictu discinderet. Lateralis igitur apparatus eo fine instituendus est, ut sola incisione, nulla vi partibus dilatandis illata, planum iter tum ad vesicam, tum e vesica sternatur. Verum quæ Chelfeldenus pro sua peritia exequebatur, perinde non licet quibusvis exequi. Manus sive inexercitata, sive parum subinde certa plus minusve fecat quam oportet, aut deerrans vicinas partes non violandas interdum attingit. Graviora sane hæc incommoda præcavere didicimus instrumento nuper excogitato, quod in manibus tironum etiam, certe ac tuto munere suo perfungitur.

III.

Hujus instrumenti [r] fabrica saltem sic adumbretur: Virga est Chalybea aliquot lineas supra novem pollices longa, uno ferro constans; sed duabus sui partibus diversa facie. Inferior seu anterior, quæ secando destinatur, ad sex & dimidium pollices producta, scriptorii calami est crassitie, sensim gracilescens extremum versus, & inflexa ad instar catheteris. Finditur autem a duobus pollicibus, ubi solida est, ad reliquos in duas partes æquales, quæ sub finem in ligulam trium linearum coeunt. In hac fissura ceu vagina reconditur lamella acie præstantissima, non exerenda nisi ubi opus est. Tunc enim exeritur à parte curvaturæ convexa laminæ obtusæ crassioris ope, quæ pro lamellæ cauda habenda est; affixa si quidem initio lamellæ, mobilis tantum sursum ac deorsum, per commissuram inibi firmatur, huic subdito elatere à calami solida parte disjuncta in sinum progrediens magis ac magis affurgit, quoad in uncum intro recurvum terminetur e regione capuli lignei paulo post describendi. Porro unco illo compresso, & ad capulum adducto, per pollicem subditi vim elateris superantem illico lamello exeritur, in fissuram sponte reditura, ubi pressus desierit.

Jana

[q] D. Sharp. oper. Chirurg.

[r] L'instrument que l'on décrit ici, est connu sous le nom de *Lithotome caché du Frere Cosme*, il se vend à Paris chez le Sieur Noel, Maître Coutelier, rue Galande, à l'Ancre.

Jam totius virgæ pars altera, quæ superior est, vel posterior sic se habet: axis cylindricus ex media interiori calami solida parte, ceteris ejus in planam superficiem circumcisis, enascitur duarum linearum diametri, & ad duos & dimidium pollices per medium capulum ligneum ejusdem longitudinis excurrrens desinit in aliquot strias, quarum receptaculum in circulum summa parte explicatum capulum ipsum ita continet, ut superne eximi nequeat, alias in orbem circa axem inclusum volubilis. Hujus capuli caudex, ut ita dicam paulo crassior calamo Chalybeo, cui contiguus est, in sex angulos distinctus, à sesqui pollice sinuatus, reliquo pollice extuberat in totidem planas superficies inæqualiter prominentes, quibus inscribuntur numeri 5, 7, 9, 11, 13, 15. unicuique suus, major scilicet minus, minor vero magis eminenti: quo fit, ut adducto plus minusve secundum facierum diversam eminentiam caudæ unco, lamellæ acies plus minusve diducta exeratur. Verum ut cauda obvertatur faciei, cujus numero major minorve incisio faciendâ indicatur, totum opus vertitur in fabrica inferioris capuli, quæ nobis caudex dicitur; qua enim chalybeum calamum lignum attingit, præter hexagonum chalybeum ei infixum, circulum chalybeum pariter habet pro basi, in quo sex crenæ angulis hexagoni respondentes inciduntur, excipiendo lamellæ particulam ultra calamum productam (ligulam voco) ejusdem atque crenæ sunt figuræ & magnitudinis. Superest unde particula illa producat exponendum: si quidem paulo supra mediam sui partem calamus solidus ad latus excavatur latitudine duarum linearum, pollicis longitudine, quæ ad circulum prædictum pertinet. Huic cavo superponitur lamella, quæ tolledonis vicem gerit: claviculo enim transfixa per totum calamum ceu hypomochlio sustinetur; subditur autem elater lamellæ parti à circulo remotiori, quo deprimitur altera ad circulum pertinens, non attollenda, nisi ubi globulus extremo prioris partis affixus comprimitur: tunc enim e crena cui inserta erat, eximitur ligula, & capulus per ligulam insertam in hanc crenam circuli sibi annexi, antea firmatus, ita libere volvitur, ut facies, cujus numerus sectionis faciendæ gradum indicat, caudæ supra descriptæ obverti facile possit, denuo ibi firmandus ligula in aliam crenam inserta. Hac descriptione præmissa ad usum instrumenti deveniendum est.

Æger collocatur supinus plano corpore, pulvinaribus capiti suppositis, manibus una cum pedibus junctis laquei injiciuntur, quales D. le Dran in usu sunt, æqua vis ac sunt alii, sed minus specie formidandi; astantes ministri quisque suo munere funguntur; tum catheter in vesicam demittitur ea ratione, ut ejus rostrum ad dextrum inguen protendatur, convexa pars vero spatium respiciat, quod rectum & ischii tuber interjacet, ubi quantum fieri possit, prominens contineatur, ministro deinde committendus, qui firmatum ad perpendicularum bene sistat; cui etiam sinistra manu scrotum sustinendum traditur. Tum artifex ipse, adducta ad scrotum per sinistram manum cute, scalpellum vulgaris aciem in mediam acceleratoris sinistri latitudinem



dinem paulo infra ejusdem mediam longitudinem infligit, & secundum catheteris descensum à summo ad imum partes subjectas incidit, repetita, si opus est, sectione, dum catheteris fulcus in conspectum prodeat, postea eodem scalpello ad septem vel octo lineas plane denudandus, ut ei bene terfo cystitomi extremi ligula inferatur; quod sine dubio agnoscas, si utrumque collidi ac reluctari sentias. Jam Cystitomis ipse, versa ejus curvatura sub pubis arcum leniter impellitur, duce ligula fulcum non deserente, quoad ultra nequeat, obstante eminulo catheteris solido rostro; quo ubi perventum est, catheter educitur, & pro explorata antea calculi mole, pro ægri ætate, ut & vesicæ statu, incisionis mensura sic apparatus: Globulo scilicet, quo tolledonis pars inferior attolitur compresso, capulus tunc mobilis ita volvitur, ut facies, cui mensura incisionis faciendæ certo numero inscripta est, obvertatur caudæ unco supra descriptæ: simul ac igitur uncus ille pollice compressus ad illam faciem adducitur, lamella e convexitate cystitomi sese exerit, & dum instrumentum eximitur, secundum incisionis tractum, partes incidit obvias ab interioribus ad exteriores, non foris intro, ut in plerisque aliis sectionibus fieri solet: sic discissa penitus vesicæ cervicæ, ut & prostatica ac urethræ bulbo, aliis quas nefas est attingere partibus intactis, via sternitur ad vesicam recta, plana, expedita, qua quidem ut forceps plerumque sine conductore facile introivit, ita facile cum calculo apprehenso exeat, ampliata sine periculo, strictior si fuerit, plaga. Porro multo minori molimine mulier calculosa secatur; omisso siquidem cathetere solus cystitomis obversa pubi curvatura immittitur ischii tuber respiciens, & dum retracta ad dexteram vagina apertus eximitur, vesicæ cervicem perfecte discindit. Habemus nunc, quantum hic apparatus ceteris præstet, explanandum.

I V.

Trifariam spectata generatim cystitonte totum chirurgicæ opus completitur, triplici omnino operatione constans; Diæresi inciduntur partes, exæresi aliena extrahuntur, Synthesi demum conglutinantur divisa: quæ si tria modo descripta cystitome absolute exequatur, aliis aliter institutis præstantior procul dubio habenda est. Ac primo, in partium sectione cavendum est, ut incidendæ partes ad certam quamdam mensuram incidantur, multo magis adhuc, ne aliæ quam oporteat. Intestinum autem, vesicæ fundus, ureteres, vesiculæ seminales, partes omnes nisi summo discrimine ferro violandæ à secandis impune tam parvo intervallo distant, ut vel peritissimus artifex interdum eas insciens nec volens saltem delibet, ratiocinatione tantum certus, quo scalpelli iter dirigere ac producere debeat. Hæc sunt pericula, in quæ venit apparatus lateralis, methodis recensitis etiam emendatus. Nunc qua ratione cystitomis novus suum munus præstando, omni periculo vacet, iterum oculis subjiciamus. Verum antea præfari non minimi interest de ægri secandi situ, quem planum obiter jam indicavimus:

mus: eo si quidem pro diverso diversam vesica figuram fortitur, erecto corpore, intestinorum mole deorsum premente ad infimam pelvim vesica detruditur, ibi tumens si plena lotio; si vacua, tunc vieta in se ipsa confidens non sine rugis hinc & inde prominentibus scalpello vel forcipi sæpe nimium obviis. At in resupino ægro secundum horizontem porrecto, vesica omni pressu ac pondere libera quoad potest tota explicatur. Collocato igitur qui secandus est plano corpore, tum cystitomo ubi sibi debet probe firmato, qui ad superius exposita curiose attenderit, viderit plane sectionem præstituta nec plus minusve mensura factum iri, nullum deinde partibus servandis vulnus inferri posse. Ubi scilicet pubi cystitomi curvatura tanquam suo hypomochlio admota est, ligula ejus in dextram vesicam extante ejus protegatur fundus, atque dextrum latus, si opus est, amovetur facile quidem, cum vesica plano situ in amplitudinem nativam restituta fuerit. Jam vero lamellæ præstituta mensura exertæ acies, nullo interjecto corpore à dextra ad lævam secundum exterioris incisionis tractum, vesicæ cervicem petit, prostatatque & urethræ, quantum sit satis, penitus discindit, ut pote solas partes, quæ resistunt. Sic prostata incisa duriore intus ac magis renitente, planus ad vesicam digitis & forcipi patefit aditus, ut ex ea reditus: alioquin vi quam cui pares sint majore dilatata partes cum atrocissimo dolore obteruntur, lacerantur, unde phlogoses, suppurationes, & acerbissima plerumque symptomata. Hac itaque methodo dum calculus facilius eximitur, exæresis altera chirurgices operatio facilius celebratur. Superest Synthesis: educto calculo, vulnere sanando postrema incumbit cura. Moris est partibus contusis & laceratis, quæ suppurationem movent, fovent, etiam unguenta adhibere, tum alia atque alia ulceri detergendo, eaque pulvillis illita fasciis deligatis apprimere: at prorsus nobis ableganda, cum in nostra cystitome nihil horum eveniat. Vulnus igitur simplex & contusionis expers sine unguentis ac fasciis sibi ipsum relinquendum est, ut urina & si quid alieni in vesica restitat, libere effluant; alioquin si fasciis retinerentur, plurima, quæ facile conjicias, damna vulnere interius & exterius illatura. Eadem aut alia post curationis cursum etiam permanfura etiam unguentis ascribenda sunt, quæ in simplici atque perfecta divisione nequaquam desiderantur. Peracta operatione, ægro in calidum lectum confestim reposito, linteum clunibus quadruplex subjicitur, & coxæ ad sese invicem adducuntur parumper sublatæ, per æliquum curationis tempus sic continendæ; vulnere ideo facilius ac citius coalituro, quo magis ab aëre externo in cubili defenditur. Tum ingeratur magna aquæ tepidæ copia, pocula deinde lenientia, scilicet aqua feminis lini, & juscula cum pulli vel vituli carne confecta. Ita plerumque absolvitur curatio, ocus tardius quidem pro incisionis magnitudine, ægri ætate, temperamento ac ceteris conditionibus. Tam expeditæ curæ absit, ut laudem novæ cystitomes auctor sibi vindicet, ultro tribuendam agnoscat Ravio summo viro, cui tamen frater Jacobus ipse præiverat.



Verbis adhibendam fidem, nisi re ipsa comprobentur, jure negari debet. Sola experimenta fidem faciunt. Hæc sunt autem: cuicumque in promptu est cadaver incidere, is exploret quo tractu, qua cautione cystitome incidit, dum modo quæ præscripta sunt accurate observaverit, manibus & oculis deprehendet sectionem in partibus solum secandis, ita constanter fieri, ut nullo labore, nec ulla dilaceratione calculus antea intrusus eximatur. Ipsi pluries experti affirmamus [s]. Verum quæ probabilia tantum videntur in mortuis, jam certa & indubitata conspiciuntur in vivis argumenta. Centum & amplius excisi palam testantur hodie calculo liberatos nova cystitome ac perfecte sanatos evasisse. Tot inter si aliqui occubuerint, ii certe multo pauciores atque solita cystitome, quibus fere invitus artifex manum admoverat, omnes alieno morbo, Hydrope, phthisi, exhaustis à nimia dilatione viribus perierunt; nullo perperam factæ sectionis vestigio se prodente, ut iudicis instrumentis evincitur. Hac eadem causa qui supersunt, incommodorum, quasvis alias sectiones non raro subsequentium, immunes vitam se degere ipsi prædicant. Quæ itaque periculosa adeo operatio, gravibus saltem incommodis ab ea remanentibus erat obnoxia, eo perducta, est ut tres in omni curatione desideratas condiciones absolute expleret; dum *tuto, cito*, si non *jucunde*, certe minori dolore triplex chirurgice opus exequitur. Ea insuper facilitate, ut etiam Tironi commissa expectatum fortiatum effectum, solius instrumenti bene collocati beneficio: quod cum e chirurgis nonnulli artis compendii studiosiores agnoverint, eos, sibi comparato novo cystitomo, non puduit, qua ratione adhiberetur, edoceri ab ipso, qui primus illum excogitavit, ulro autem edocuit libentissimoque animo vir admodum laudandus, qui una charitate generis humani, quam ex instituto vitæ proficitur, inflammatus, omni spe lucri vel gloriæ postposita, totam qua natus est industriam & solertiam ad miserorum levationem converterit.

Ergo scalpello vagina recondito cystitome Lateralis perfectior.

EXPLICATION DES FIGURES

Tab. XXX. N^o. 2.

Figure premiere.

LE *Lithotome caché fermé*, & la patte de la lame ou du Bistouri regardant la surface la plus saillante du manche.

Fig. II.

[s] A diversis Chirurgis repetita sunt experimenta in 200. Cadaveribus, & constanter partes eadem sectæ deprehensæ sunt. Scilicet prostata penitus, cervix vesicæ, bulbis, nec non arteria exigua pudendæ ramus, sed nullius momenti.

Fig. I I.

Le *Lithotome* représenté ouvert, & la patte de la lame ou du Bistouri appliquée sur la surface du manche la plus proche de l'axe.

Fig. I I I.

Tige ou verge de fer de 9 pouces quelques lignes.

A B La partie postérieure ou l'axe du manche.

B C La partie moyenne.

C D La portion antérieure ou la gaine.

e La charnière qui reçoit le Clou à vis Fig. IV.

f Ressort qui est sous la patte.

g Ressort à basscule.

h L'extrémité failante du ressort à basscule, laquelle est reçue dans la monture du manche de bois, qu'elle fixe & rend immobile.

i La fente qui reçoit la lame.

k La languette mouffe qui termine l'instrument.

l L'extrémité de l'axe du manche terminé en vis pour recevoir l'Ecrou Fig. V.

m Fig. 2. La goupille ou pivot du ressort à basscule.

Fig. V I.

n La lame ou le Bistouri qui est reçu dans i.

o L'endroit par où la lame est attachée à la tige ou verge de fer dans e.

p La patte ou queue du Bistouri.

q La partie convexe ou le tranchant de la lame.

r Le dos ou la partie concave.

Fig. V I I.

s Le manche de bois taillé à pans, & qui doit être reçu dans l'axe A B,

Fig. III.

Fig. V I I I.

La monture du manche de bois, laquelle est en acier.

t Le cercle d'acier attaché au manche.

v Les crans dans lesquels est reçu h.

La grandeur naturelle du *Lithotome* caché est le double de ce qu'il est ici représenté.

La partie supérieure ouverte, & la partie de la lame ou du biflois se
 trouve sur la partie du manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.

La partie supérieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.



La partie supérieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.

La partie supérieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.

La partie supérieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.

La partie supérieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.

La partie supérieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus proche de l'axe.

La partie inférieure de la lame ou du biflois se trouve sur la partie du
 manche la plus éloignée de l'axe.

JOAN.



CVIII.
JOAN. ADOLPHI WEDELII,
P R O E M I U M
DE LIQUORE NON CORROSIVO
LAPIDES DURIORES ABSUMENTE.

Jenæ die 3 Augusti anno 1720.

S s 3

